

JK
2415









CHRONOLOGICA

BOHEMICAЕ

ECCLĒSIAE

adumbratio.

AUTHORE

M. ZACHARIA THEOBALDO
IUNIORE.

*Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine cœpit,
Sanguine succrevit, sanguine finis erit.*



VVITTEBERGAE,

Typis suis exscripsit Laurentius Seuberlich.

Impensis Samue is Selfisch.

ANNO M. DC. XI.

GEN. PR. FR.
UNIVERS.
ZV HALLÉ



AMPLISSIMIS ET
PRUDENTISSIMIS
VIRIS:

*Domino Iudici regio, Domino Primati & reliquis Consu-
libus liberæ regique civitatis Teste.*

M. ZACHARIAS THEOBALDUS
IUNIOR.

Salutem dicit plurimam.



Culi paradigmaticæ historiæ,
Viri prudentes, Chronologia & Topographia
sunt. His enim personarū & familiarum res ge-
stas mente videmus tacitâ, visas ad gnomas re-
gulasq; tum vitæ tum consiliorum prudenter disponimus &
digerimus. Licet a. perutilis summèq; necessaria cognitio ea
sit, tamen (cum omnia nosse homini datū non sit) non caret
errore frequenti, ceu clarè ex chronicis patet scrip. is, in qui-
bus authores in exquisitione & indicatione annorum dissen-
tientes dissident, aliorumque, quibus hæc res curæ diligenti
fuit, calculum & notant & taxant & corrigunt, tantâ vehe-
mentiâ, ut celebres eruditione literarum nostræ ætatis viri
faciant, quò veterum obliviscar scriptorum. Novem & vi-

ginti in numero annorum à condito mundo ad Christum natum, ab hoc tempore, usq; ad nostram tempestatem, quatuor insigniores & discrepantes chronographorum sunt opiniones, quarum pervulgata saltem illa ab Ephimerarijs, non verò doctis defenditur & retinetur. Causam hujus *Αεφωίης* jam non exponam, cum literarij Reusneri & Calvisij labores, in manibus vel mediocriter diligentum aut doctorum sint. Neq; est cur aliquam profanis in scriptis *αυγβειας* speremus, cum ex Plutarchi Numâ, quid Hippias Eleus author Olympiadum certi scripserit, legenti constet. Romanorum monumenta captâ & inflammâtâ urbe bello Gallico interierunt. Multis ergo bonis & præclaris libris amiisis, eò magis hallucinatur cognitio, quo minus est ad colligendam veritatem adjumenti. Tantum autem abest, ut ad Trophonium antrum hoc ablegem studium, ut potius foetus ejus felices Palladis in arcem collocem; hac tamen cum inscriptione: *Benè qui conjicit vates perhibetur optimus*. Nam scopetarij ad eundem scopum collimantes, quametsi illum examussim non tangunt, tamen sua habent præmia: sic & indagatores & venatores antiquioris cum primis temporis. De recentioribus, typographicâ arte inventâ, temporibus, aliud est judicium, & major historiarum seges, quam felicissima, si multos produceret Cominæos, Cureos, Sleidanos. De scriptoribus autem Patriæ nostræ quid dicam? Antiquissimus fide integrâ scriptor Cosmas, supputationem annorum certam queis habet in locis? Idem in Pulkavva deprehendere est.

Hagek

P R A E F A T I O.

Hagek & Cuthenus Chronologi, ut Mysi & Phryges in terminis conveniunt, quod vivaces civis vestri *M. Procopij Lupacij*, viri Musarū patrocini digni, lucubrationes cum maximè docent. Vestigia itaq; secutus illius, hasce pagellas eo animo, ut alios iudicio, ætate scribendiq; copia majores me, excitarem, inq; coronā illorum hoc Eridos historicæ pomū projicerem cum epigraphe; ἡ ἀληθὴς αἰσθητικὴ λαβὴ concinnavi, *Vobisq;*, ut Musarum earumq; alumnorum fautoribus, dicavi, partim cum amicos inter vos faventes habeam: partim ut ingenuus (in urbe enim vestra à vestris adjutus civibus hoc argumentum & alia hujus farinae accepi) gratum erga vos animum declararem offerre volui. Sumite ergo lætā & hilari fronte literarium, hocce munusculum, meq; solito favore atque studio prosequi pergite & valete. Dabam **VVITTEBERGÆ** Calend: Julij Juliani Anno æræ Christianæ vulgaris *M. DC. XI.*





ΠΡΟΣΦΘΕΓΞΙΣ,

IN nomine gloriosi & benedicti DE I in secula, traditurus sciographicam Ecclesiae Bohemicae chronologiam, paucula de varijs miserorum Czechiadam Dijs patrijs, *προσφωθῆξας* loco, praemittam.

Tota autem illorum, ut & omnium gentium, inscia de DE O scientia saltem erat in quaestione illa Logicorum AN SIT; ubi Deum & divinitatem. 2. QUALIS SIT; ubi aeternam & immutabilem quandam essentiam, non tamen perfecte ex visibilibus creaturis cognoscebant, seu ut loquar cum gentium Apostolo Paulo, cognitam habebant. 1. Divinitatem. 2. Virtutem & potentiam. 3. Aeternitatem DE I. Numen: sed tale, quale omnes gentes, & vel juxta illud Tullij, feræ coluerunt. O tenebras crassiores palpabilibus Aegyptiae quondam, in animis hominum circa abstrusa DE I sine supernâ luce! En triste damnosæ cœcitatîs speculum! Vanis cogitationibus usi *Solem, Astra*, cum primis tamen *Ignem*, post & *Sylvas ac Lapidés* adorabant, datiq; in sensum reprobum, vel esse DE I in commentitiam corruptibilis hominis similitudinem convertebant. Sic *Cze. hinc cum Croco*, ut DE O S majores: Iovem, Martem, Bellonam, Cere-rem, Mercurium; minores: Faunos Nymphasquè colebant. Foeminae naturâ superstiosæ variarum DE A R U M imagines divino honore dignas impiè judicabant. Tetka Climbam idolum consilij, Libussa Zelu divinationis Banka, uxor VVogeni, Kyhalam, scientiæ; quin & Ludmilla Krosinam, frugum DE A M venerabantur. Mortuorum caduceator illis fuit Merote, furiae Thesani; iudex Radama.

Nonne

Nonne satius fuisset sub sanguineo IESU CHRISTI victoris ve-
rè invicti signo contra Diaboli execrandi effrenatos furores, mundi-
jucundi blandas fallacias, nec non malesuadæ carnis præcipites insa-
nosque affectus fortiter pugnare, coronamque gloriæ perennis feli-
cissimè promereri?

Felix ergo & terque quaterque **BORZIVOVS** est, qui
ex hoste **DEI** creatoris sui unici, paganus primò rudis, è pagano
verò miles **CHRISTI** fortissimus
factus est.



ECCLE-

ECCLÉSIAE BO-
HEMICAE INCUNABULA
ET INFANTIA.

*Hoc tempore Episcopi pij & industrij in vi-
nea domini excolenda ope-
rarij.*



ANNO, quo divina majestas hu-
manam in carnem ad salutem no-
stram caelitus se demisit 894. quoq;
mundus conditus 4865. Leone
Philosopho Orientis, Arnolpho Oc-
cidentis, Impp. Ordono II. Hispa-
niae. A. Luredo Angliae Ottone Andegavensi Galliae.
Regg. Formoso Pontifice Romano, Borzivvoius
Hottivviti filius ad Baptismi gratiam per Cyrillum
Dei pietate perducitur, & una cum triginta Palatinis
Bohemicis in oppido Moraviae VVelehrado, quod
recentiores Olomucium (eruditi Iulium montem)
vocarunt 23. Iunij baptisatur. Discedens a. providus
ardensq; doctor (nostros jure optimo Bohemorum
vocant Apostolum) Cyrillus pium, modestum, pa-
tientem, sacrarumq; literarum peritum virum Cay-
thum, qui divinis mysterijs, caelestiq; doctrinâ rudio-
rem adhuc tyronem imbueret, addidit.

Fidus hic verbi divini minister primam concio-
nem, aedificatâ in Bohemia primâ a de sacra, quam in
urbe Hradecensi hodie videre licet, habuit.

894.

569.

896.

Borzivvoius haud dubiè Diaboli instinctu
ab ethnicae religionis magnatibus plebeque supersti-
tiosâ & contumaci pellitur in exilium.

571.

897.

In anno sequenti publicisq; comitijs contumaci-

572.

bus

898.

bus ethnicis enixim reluctantibus non tamen citra sanguinem tumultumq; tumidum, in quo & Hromil caput & fax causæ oppetit, *Borzivvoius* revocatur, qui redux metropolitanum nostris temporibus templum PRAGÆ condidit, quod Bohemi *Tyniem* / latini Tynense vocant. Liberalem quin etiam scholam nutriculam recentis teneræq; imbecillis Ecclesiæ in oppido Budeico aperuit, in quâ docti viri, quos è Germania Moraviaq; evocaverat juventutiq; præfecerat, enchea Christianæ pietatis studia, & artes liberales publicè docebant.

573.

Eodem anno Ludmilla Borzivvoij uxor unâ cum Spitihevvo & Vratislavvo, filijs, à Cyrillo Deo per baptismum consecrantur. Promiscua verò multitudo laudabili Ducis devoti exemplo, abnegata gentilitate, contemptisq;, quos ante coluit, dijs patrijs baptizare se permittebat & verbum DEI salvificum gratis animis excipiebat.

899.

Templum Petri Pauli (hodie vocatur zderad.) juxta atq; Clementis in VVissehrado erectum.

574.

901.

Borzivvoius convocatis Christianis, illos monet de præparatis & hostilibus infestorum ethnicorum infidijs.

576.

902.

Cyrillus simul ac juvenes nonnullos sacris Pragæ in sacello B. Virgini Mariæ (ante lætam Curiam hodie vocant) initiasset, luculentamq; Orationem valedicens ultimum, è 4. Lucæ capite & verbis appositè congruentibus, καὶ ταῖς ἐτέραις πόλεσιν εὐαγγελισαὶς με δεῖ τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, præmisisset, Romam ivit.

577.

Vtrum autem Bohemica Ecclesia filia sit Constantinopolitanæ, anxie disquirere nolo. Cyrillus patria Alexandrinus Romam extorris in tumidis miserorum temporum tempestatibus confugit.

Nec obscurum aut ignotum, quid Malinæus de

B

hac

hac re scribat. Antiqui rerum Bohemicarum scriptores, qui ex Bibliotheca Marquardi Freheri prodierunt in manibus omnium sunt. Ad hos authores Curiosum lectorem remitto.

905. *Cyrillus & Methodius, Slavorum, Apostoli,* 580.
à *Benedicto IV. Papa in vernacula Slavorum lingua religionis exercitium impetrant.*

906. Spithnev templum Petri Pauli in urbe Bude- 583.
ciana ædificavit.

Methodius (Bohemici scriptores Strachota vocant) è Moravia profugus ob Svatoivoij impias contumelias venit in Bohemiam, & cum eo archiepiscopalis in Moraviâ sedes defecit.

Scriptores nostri Methodium Cyrilli fuisse fratrem affirmant, qui etiam Græcæ Ecclesiæ alumnus; sed ut alij scribunt, Cyrilli synergus fuit.

909. Monasterium Bohemicum primum erigitur 584.
non procul à Berotta S. Iohan de rupe.

Causam foundationis scire qui vult in Hageco querat.

910. Templum in arce Tetino D. Michaëlis Borzi- 585.
vvoio fundatore exstruitur.

Eodem anno Methodius Bohemis benedicens discessit.

912. Vratislaus ædem sacram in arce Pragenfi, ut 587.
hodie est, quam D. Georgij vocamus, exædificavit; domum religiosarum virginum juxta posuit.

Si Christiane lector (te enim alloquor) id ætatis vitam vixisses, & oculos contuosos in cor, cordisq; majorum piorum fibras piâ inseruisses, flammamq; piæ religiolam vidisses, quid jam diceres?

Abusum monasteriorum otioq; luxuq; ignaviaq; torpentium probares? Quin imò lacrymas generosas, è corde Zelo pietatis expressas tenere non posses. Plura non dicam, tempus loquitur.

Fanum

915.

Fanum Cyrilli & Methodij in Boleslavia con-
struitur.

590.

Nemo Bohemus tam æquè difficilis in fide Chri-
stianâ atque Zatecenses juxta & Zluticenses, sive, ut
id temporis vocabantur, Thodorienses fuerunt. Su-
perstitiosa & ridicula illorum erant sacra. In lucis e-
nim arbores & elementa numenq; quoddam cornu-
tum & rictu furiali terribile solebant.

918.

Drahomira non tam læderijs publicis Christia-
nos proscindebat, quàm vi publicâ (infandum) op-
primebat. Prima Christianorum in Bohemia perse-
cutio, quæ furiali diabolicæ fœminæ furore myriades
innumeras Christianorum hausit. En abyssus iustæ
DEI voluntatis iusti? Infernalis hæc insania usque
ad tertium annum duravit.

593.

919.

Quin & Eoas Parisienses (ut hodie loquuntur)
Polhogio ministro acheruntigeno usa bis celebra-
bat, se crumque Ludmillam per insidias in arce Tetin
Thumano atq; Cumano VVranovvicijs à VValdekâ
percussoribus submissis interficiebat.

594.

921.

Malè habebat tyrannicum Drahomiræ fervidæ
imperium bonos, quippe qui indignas Christiano-
rum cum ethnicis commissorum cædes præsentis vi-
debant. Proinde VVenceslaum legitimum paterni
principatus hæredem creant, patrioq; ritu inaugu-
rant. Halcyonia pijs votis exoptata sub hoc duce fuê-
re Bohemis Christianis. Hunc VVenceslaum & vi-
vum miraculis claruisse scriptores affirmant.

596.

Non possum hoc loco non notare, quæ
perquam multi lectione authorum perspecto-
rum accubua sagaciter indagarunt, scilicet
quod hac tempestate sub utraque, ut loquun-
tur, specie OMNIBUS Christi fidelibus se-
cundum sacrosanctam institutionem prece-
ptumq; Christi inviolabile, Cœnam Domini

administrarint. Bohuslai presbyteris liber No-
ribergæ ætatem ante nostram typis vulgatus in
manibus Bohemorum est. Piam ergò qui de-
pingere vult Bohemiam, hanc vivis, ut dicitur,
coloribus depingat.

Condidit Venceslaus, quem & scriptores
Vaczlavum vocant, ædes sacras sex.

I.

923. D. Viti jam in arce Regiâ Pragenfi Cathedrale.

II.

926. D. Anthonij jam in Hradeczanis, ubi orphano
trophæum constituit.

III.

927. D. D. Petri & Pauli ad Vltavvam annem.

IV.

928. Eodem anno D. Laurentij in Pragenfi urbe
majore, quo in loco hodie situm est D. Annæ cœno-
bium.

V.

D. D. Cosmæ & Daniani.

VI.

Eodem anno Michaëlis Archangeli.

Drahomira Brzoslavvi domini arcis Zluti-
censis filia, acerrima ethnicorum rituum propugna-
trix & infestissima Christianæ pietatis professorum
hostis, atq; laxis in credendo, ut scribit Pulkavva, du-
rior, hiatu terræ (horrendum) in Hradeczano, ut
hodie loquimur, non procul a domo quâdam, quæ
nostris temporibus Sphæra aurea vocatur, ablor-
betur.

Ethnici & præter cæteros Boleslaus dux VVen-
ceslaum fratrem patricidij infandi accensare, & ob id
fremere, stomachari, minari. Vide sis Hagecum.

929.

Hoc anno Venceslaus ad lastricum convivium

664

itivi-

invitatus, in templo inter pias preces religiosaque vota, per odium à fratre impiè occiditur. Patratur id fratricidium in Boleslaviâ antiquâ, in qua urbe primo sepultus, post tamen Pragam 4. Martij Anno 93. ut Cosmas vult, translatus & in Basilica D. Viti sepultus est.

931. Michaël Episcopus Ratisponensis templa nonnulla in Bohemia consecrat. 606.

933. Zatecenses fictitiorum Deorum assertores & vindices obstinati Boleslao probante, ad bustum Robusti militis, in campo Tursko confluunt, & divinitus territi diffluunt. 608.

941. Ethnici, Boleslao sciente, Pragam non sine tragœdia oppugnant 313. illorum cœsi occumbunt, cum tantum 37. è Christianis mortem oppetijissent, quâ re fortunaque favente, Christiani moti & reliquam fecis Ethnicæ partem Pragæ vi adoriuntur, occurrentes cædunt, cæsorumq; bona diripiunt; Boleslaus verò, cognitâ suorum cæde, Pragam obsidione ardens cingit, req. infectâ solvit, pacem cum Pragenfibus suafu V Vladiconum (quos Purpuratos rectius vocares) inicit. 616.

964. Otto cognomento Magnus, Rom. Imp. Dux Sax. suafu Michaëlis (Fabritius vocat V Volfgangum Orig. lib. 2.) Episcopi Ratisponensis armorum animorumq; ardorem in Boleslaum movet: Causa belli erat V Venceslai eximiâ pietate principis nex injusta, nec non Ecclesiæ Bohemicæ violenta oppressio, inq; pios cives & Sacerdotes furiosa sævitus. Ne igitur Ecclesiæ Bohemicæ ab amente & crudeli principe quasi in cunis extingueretur, facinorum scelus, impiumque propositum severè vindicare Imperator devotus decrevit, feliciq; successu rem confecit. Pacis conditiones hæ fuere. 1. ut fidem Christianam, quam amplexus erat, colat. 2. Commissi fratricidij

pœnitentiam legibus Ecclesiasticis præscriptam agat.
3. Exules Christianos omnes revocet, & crepta sacra
fortunaſq; restituat.

Reliqua in Hageco invenies.

967.

Episcopalis in Bohemia dignitas sua sub princi-
pe Boleslao, Boleslai sævi filio: Mlada enim Boleslai
pij ducis Bohemiæ, soror à Iohanne 13. Papa ædem
D. Viti in Pontificalem elevari obtinuit. Primus
Pragensis Ecclesiæ Episcopus fuit Dietmarus natio-
ne Saxo patria Magdeburgensis, ab Hattone illo, cu-
jus nobilitatus est interitus, confirmatus. Hic Diet-
marus, qui non mediocrem Slavonicæ linguæ habe-
bat usum, quàm plurimos Christo per baptismum o-
pe S. S. fecit fideles. Annum aut plus eo sedit in Bo-
hemia: Mortuus n. est An. 969. 2. Ian. ut habent
Cofs. & Pulk.

642.

Hac tempestate Romanus præsul primitus in
valle Sudetorum nidulari cocepit diplomate publi-
co Slavicæ seu Heneticæ linguæ usum id temporis in
sacris ecclesiasticis more Bulgaricarum Ecclesiarum
minimè insolentem inhibuit, Bohemiamq; blandè
in servitutem redegit.

969.

Simulac Dietmarus affecta ætate diem obiisset
ultimum, V Vogtiech, Slavnicus comitis Libecensis fi-
lius, vir vitæ de votæ plurimè nocentiâ laudabiliq;
pietatis entheæ studio clarus à Boleslao 19. Febr. eli-
gitur, Veronæ eodem anno ab Imperatore Ottonè
confirmatur, Alberto Magdeburgensi consecratur,
pro V Vogtiech sive V Voytiech, Adalbertus nuncu-
patus.

644.

Observa lector modum eligendi, confirmandi,
consecrandi Episcopos.

973.

Ethnici irrequieti omnes irarum furiosarum
sordes in Christianæ pietatis professos eructaban,

648.

vindi-

vindicemq; principis pij in se accendebant animum,
qui conscriptis militibus, armis illos devicit.

974.

Haud pauci, qui nomen Christo dederant, è ca-
stris Christi salvificis in Diaboli spelæa Tartarea
profugerunt. Causa erat, quod spiritus maligni illis
in magicis incantationibus adesse nollent. En tech-
nas Diaboli.

649.

Motus hac re pius Episcopus, relicta Bohemiâ,
Romam se recepit, à cujus migratione tanta fuit in
totâ valle Hercyniâ, quæ Sudetis cingitur, terræ sic-
citas, ut Sylvestres juxta ac hortentes arbores unâ
cum graminibus exarescerent.

975.

Ethnici secunda vice à Christianis profligantur
in districtu Zatecensi.

650.

977.

Adalbertus in Bohemiam redijt.

652.

979.

Boleslaus, suâsu Adalberti, leges ecclesiasticas
promulgat hæc: I. Ut diem dominicum religiose
colant, mercaturam omniaque mercurialia fugiant.
II. Conjugium castè & reverenter habeant, scorta-
tiones & adulteria vitent. III. Piè defunctorum fra-
giles exuvias in cœmeterijs, non sylvis & trivijs ter-
ræ concredant. Pia pij Ducis & Episcopi mens, quam
impij nec agnoscere nec facere voluerunt, sed impor-
tunis factis malegrati Episcopum vertere patrium
solum coegerunt, qui Romam confugit.

980.

Pagani crudeles in urbe Libicia non tam pro-
miscuam multitudinem, sed & quinque Adalberti fra-
tres uterinos Sobebor, Pobraslavv, Borzcy Czaslavv
interfecerunt.

653.

981.

Adalbertus jussu Papæ comitantibus ipsum sex
fratribus in patriam suam redijt.

654.

982.

Adalbertus tertio Romam consentiente Boles-
lao profugit & à Romano Imperatore Ottone reci-
pitur.

655.

985.

Pragam redijt.

658.

Ethnici

986.

Ethnici pagani ira in Christianos ardentes clam atq; palam Christi fideles sæpeq; per amici nomen è medio tollebant. Huic malo ut medicinam Boleslaus Dux providus pararet, iussit Christianos ligneam figuram picturamve Christi crucifixi ad portas urbium, & januas domorum adpendere, talesque columnas ante pagos, quas in trivijs hodie videmus multas erigere: fore enim ut scirent Christiani, qui in ædibus illis essent.

658.

988.

Adalbertus Strachquazi Episcopalem tradere dignitatem vult, sed dum fictè & fallaciter recusat, fatalem illi prædicit interitum.

661.

Eodem anno Adalbertus relictis ingratis Bohemis Romam ivit.

989.

Strachquas frater Boleslai Ducis eligitur Episcopus, sed dum apud Moguntinum Archipræsulem agit, sacris de more imbuendus, inter duos Episcopos jacens pronus, diabolico spiritu arreptus tamque diu vexatus, donec animum exhalavit.

662.

990.

Adalbertus Vngaros ad fidem Christianam convertit. *Bonf. Dec. 2. lib. 1.*

663.

995.

Adalbertus venit in Poloniam relictoq; fratre Gaudentio in Porussiam contendit.

668.

Eodem anno ethnici à Christianis, à quorum partibus & Iudæi steterant, victi manus herbamque, quod dicitur, porrigunt.

996.

Adalbertus, qui sanctus et jamnum audit, 23. Aprilis Martyrij corona à Sudinis propè oppidum Fischausen cingitur, hospes ad quem non ita pridem diverterat, corpus ejus disjectum cophino colligens trans amnem ad Polonos detulit, quod Anno 1309. Pragam de Polonia translatum est.

669.

998.

Theodatus, Bohemice Bohdal/ genere Saxo ab Imperatore Ottone 111. 7. Julij eligitur à Villigiso Moguntino consecratur, & Bohemis recipitur. Vir liberalibus studijs apprime eruditus, lingua perfectè

671.

imbu-

imbutus Theodatus Slantica artibus probis & moribus decoratus, ut loquitur Cosmas, severus delinquentum reprehensor corporis mortalis ex sanguine exsuvias deposuit.

1018. Eccardus eligitur, ab imperatore confirmatur & Moguntino præfule Aribone consecratur. 691.

1022. Decimas, ut loquuntur, nec non fumalia constituit. 695.

1023. Eccardus prædicator facundus, vir natione Germanus sed Bohemicæ linguæ gnarus, ex hac vita emigravit 8. Aug. 696.

1024. Izzo, vir nobilis genere eligitur, & ab Aribone Moguntienfi consecratur. 697.

1030. Izzo à venerandâ canicie Albus dictus, annosus 30. Ian. transijt ex hoc mundo. Hic Episcopus suis sumptibus 40. pauperes, dum vixit, aluit, 703.

1039. Severus à Bohemis eligitur: Hunc & Pragam & ducem prodidisse Conrado Imperatori *Bonf. Dec 2. lib. 2. scribit.* 712.

Severus Episcopus expeditioni interfuit Polonicæ, in qua Brzetislaus Dux Bohemos sacramento obstrinxit, ut hæc sanctè inviolatèq; servarent.

I. Adulteria & scortationes vitarent, delinquentes virgis cæderent & Vngaris venderent.

II. Parentes & Sacerdotes verberibus non mûltarent, delinquentes patriâ ejicerent.

III. Publica diversoria destruerent.

IV. Mercaturam in die solis intermitterent.

1059. Iudæi ædes sacras quam plurimas igne clam subiecto, combusserunt, ob quod factum detestabile 45. exquisito supplicio sublatis, reliqui Bohemia sedibusq; ejecti sunt gratis. 732.

CHRISTL.

1065.

ANNO

SYNODI
NICENÆ

788.

VVRATISLAUS consentiente Seve-
ro , collapsam sedem in Moraviâ Episcopalem
erexit.

Eodem anno juxta Hegecum (Cosmas
habet 1058.) Severus naturæ debitum per-
solvis.



E.C.



ECCLÉSIAE BOHEMICÆ

*Adolescentia, iuventus virilisq; a-
tas improvida,*

HOC TEMPORE EPISCO-
pi cristas tollere, seq; regibus op-
ponere & sago quàm togâ, Chlamyde quam
casula præstantiores vitam politicam vivere in-
ceperunt.

Iaromirus Brzetislai Ducis filius V Vratis-
lai Ducis post & Regis frater, cum diu multum-
que suadentibus reluctatus fuisset, à Severo
se sacris initiari sustinuit, & non multò post ha-
bitus Ecclesiastici, quem invitus accepit, per-
tæsus militiam secularem professus conscenso
cabello, ad regem Poloniae militatum abiit. Re-
versus autem à Bohemis Episcopus eligitur, ab
Imperatore confirmatur, à Sigefrido Barone
ab Eppenstein Archiepiscopo Morganæ urbis
consecratur.

1066.

739.

1068.

Iaromirus Iohannem Episcopum Moraviæ con-
tumelijs & verbis affectit, causamq; & Pragæ &
Romæ egit. *Vide Sylvi cap. 21. Hagecum & alios.*

741.

1079. V Vratislaus frustra publicum Slavicæ linguæ in sacris usum à Gregorio petijt. 752.
1081. Magi, incantatores & incantatrices comburuntur, ablegantur & coërentur. 754.
1086. Authoritate Henrici Imperatoris unitur & confirmatur Episcopatus Pragensis & Olomucensis. 759.
1088. V Vratislaus & Jaromirus se invicem ut Gamma & Beta persequuntur. 761.
1090. Jaromirus mordacibus fratris injusti injurijs actus Romam cogitat, sed Vngariam transiens Strigonij, quod eruditi Istropolim vocant, 21. Junij moritur inque ejus locum Cosmas ante Decanus Ecclesiæ Pragensis Episcopus designatur. 763.
1092. V Vratislaus Bohemiæ interrex secundus in limine sui regiminis publico unanimique omnium ordinum consensu promulgat edictum, in quo omnes magi, arioli, sortilegi, aurspices, divinatores, ligaturam exercentes, adeoque quotquot sint, ubicunq; tandem locorum & Ethnicarum & impiarum superstitionum cultores sui ducatus finibus præfinito tempore excedere aut flammam & flumina expectare coguntur. Insuper & lucos, quos hominum Ethnicorum promiscua multitudo vetusto paganorum more devenerabatur, igne injecto demolitus est. Severe præterea Ethnicos sacrificiorum ritus, quos agrestes per ea tempora semipagani, ut sic dicam, exercebant, pius ac religiosus Dux inhibuit & abolevit. Vide Cosmam & Hagecam. 765.
1094. Robertus fictus, Episcopus plurima in Bohemiâ templa precio consecrat, sed cum per certum judiciû artes suas propalari accepisset, corrasâ pecunia in Misniam clam profugit. 767.
1095. Cosmas & Andreas Pragensis & Olomucensis Episcopi ab Archiepiscopo Moguntino, nomine Rothardo sacris initiantur. 769.

1098.

Cosmas naturæ satisfecit ad D. Vitum Pragæ sepultus.

771.

Eodem anno Hermannus præpositus Boleslaviensis ad Episcopatus honorem subrogatur, ab Imperatore confirmatur.

1110.

Hermannus à Ruperto Cardinale, Papæ Clementis apocrifario, ut loquuntur, consecratur.

783.

1119.

Hermannus electionem Ottonis Ducis Moraviæ infringit adjutus à Fabiano capitaneo arcis VVifchradensis.

792.

1122.

Hermannus ultima fata mortalis subiit.

795.

Eodem anno Mainhardus Germanus, invitus Bohemis, à VVladislao eligitur.

1130.

Mainhardus cum domesticis nonnullis in Sobieslaum Interregem Bohemiæ conspirat, Hierosolymam abiit, conspiratione detectâ supplicioq; à conjuratis sumpto reversus se excusat, causamque, Episcopo Moguntienfi & Bambergensi iudicibus, obtinuit.

803.

1133.

Eadem res Romæ agitur, Mainhardus suspenditur & Moguntia se purgat.

806.

1134.

Mainhardus gravibus exteri fori litibus exercitus in pago Episcopali Moraviæ naturæ concessit.

807.

1135.

Iohannes præpositus VVifchehradensis eligitur, ab Adelberto Lotharingiæ Duce, Archiepiscopo Moguntienfi ordinatur.

808.

1139.

Iohannes I. obiit sepultus in Sacello D. Gothardi Pragæ.

812.

Eodem anno Sylvester archimandrita cœnobij Sazzavensis, à Sazzava fluvio illac præterlabente sic dicti, eligitur, qui sequente anno eandem dignitatem ad Abbatiam suam reversus sponte resignat Rarum spretæ dignitatis exemplum.

1140.

Otto præpositus Cathedralis templi Pragensis

813.

- præsul summus Bohemiæ declaratur à Friderico cognom. Marcolfo consecratur.
1143. Guido Cardinalis, Legatus Romanus separavit, ut loquitur Cosmas, sacerdotes ab uxoribus cum quibus liberè cohabitabant. 816.
1148. Otto summum diem obiit 10. Iulij. 821.
Eodem anno Daniel à Leippa ad Pontificalem dignitatem electus & confirmatus assumitur.
1159. Daniel in expeditione Mediolana est consiliarius bellicus. 832.
1161. Daniel mittitur legatus ab Imperatore ad Regem Vngariæ. 834.
1167. In Lombardia vitæ & lucis usuram amisit. 840.
1170. Fridericus, natione Saxo, precibus & vi Iulihæ Reginae Bohemiæ, Bohemis reluctantibus obtruditur. 843.
1179. Fridericus, qui varijs technis bona Ecclesiastica expilaverat, Bohemis optantibus vita excedit. 852.
Valentinus Bohemis nolentibus vi & voluntate Ducissæ obtruditur.
1182. Vitam cum morte commutavit. 855.
Henricus Brzetislaus eligitur à Friderico I. confirmatur & VVernhero Comite Falcosteinio, Archiepiscopo Moguntienfi, consecratur.
1191. Dux Bohemiæ & interrex 6. eligitur. 864.
1197. Petrus Cardinalis S. Mariæ à lata via, missus à Cœlestino præfule Romano, venit in Bohemiam, multis petentibus sacros confert ordines, & sacerdotum matrimonia dirimit, ob quam rem ferè lapidibus est obrutus. Chut. Dobr. 879.
Eodem anno Henricus Brzetislaus Dux; juxta atque præsul Bohemiæ in urbe Oega, quam Ptolomæus Mon'gardam de sententia Phil. Melanch vocat, quo se à motibus bellicis æger receperat, expiravit.

1 1 9 7	Milyk post Daniel II. dictus, eligitur.	
1 2 1 0.	Monachi regulas Domini professi Pragam veniunt & recipiuntur.	8 8 3.
1 2 1 4.	Daniel Episcopus vitam affectâ ætate finiit.	8 8 7.
1 2 1 5.	Andreas electus Bohemorum Episcopus Romæ à Papa Innocentio consecratur.	8 8 8.
1 2 1 8.	Andreas Romam cogitans, posuit interdictum (ut loquitur Opat.) in Bohemia à divinis & sepultura; quod sequente anno Sigefridus Moganæ urbis Archipræful solvit.	8 9 1.
1 2 2 1.	Andreas Præmislaum I. Ottagarum cum omnibus Bohemiæ Baronibus excommunicavit. Causam Hagecus, Dubr. Cuthenus fusè assignant.	8 9 4.
1 2 2 3.	Gregorius Cardinalis ab Honorario III. missus Regem Præmislaum & Bohemos ab anathemate liberos pronunciat. Cosmas.	8 9 6.
1 2 2 4.	Andreas Romæ exul è vitâ miserâ migravit. Hoc anno Peregrinus eligitur & sequenti Tyrannico Papæ jussu Episcopali dignitate privatur.	8 9 7.
1 2 2 7.	Budislaus, alij vocant Budivvogum, eligitur eoque anno senex moritur.	9 0 0.
1 2 2 9.	Iohannes I I. ab obitu Budislai 2. anno in ejus locum sufficitur.	9 0 2.
1 2 3 2.	Barones & Nobiles religionem Equitum Templi ineunt. Templarios scriptores vocant, qui Anno 1312. Martij 22. unâ horâ ad unum omnes propè deleti sunt. <i>Vide Krantz.</i>	9 0 5.
	Eodem anno fratres Minores veniunt in Bohemiam.	
1 2 3 6.	Iohannes Episcopus hominem exsult, cui Bernhardus eodem anno successit.	9 0 9.
1 2 3 9.	Bernhardus Episcopus Pragensis 22. quod mortale fuit; terræ reliquit.	9 1 2.

Eodem

	Eodem anno Nicolaus è stirpè antiquâ VVitkomidum, quæ hodiè Rosenbergiaca vocatur, Episcopalem dignitatem electione nanciscitur.	
1 2 4 2.	Romæ consecratur.	9 1 5.
1 2 5 1.	Nicolaus Episcopus ob conspirationis, ut scribit Hagek, suspicionem iussu Regis in custodia detentus campanarum pulsum & ornatum Ecclesiasticum in- terdicit, liberatus vulgi seditioso in Regem tumultu, interdictum relaxat.	9 2 4.
1 2 5 8.	Episcopus Nicolaus summus avaritiæ osor de- cessit.	9 3 1.
1 2 5 9.	Iohannes III. recens designatus Episcopus in Basilicâ D. Viti per Brunonem Olomucensem au- thoritate VVeneri Moguntini consecratur.	9 3 2.
1 2 6 0.	Fagellatores hypocritæ Pragam adveniunt, quos regno & terris excedere Ottogarus cogit.	9 3 3.
1 2 6 7.	Guido duodecim Apost. Card. Bohemicos Cle- ricos frustra auro vult in Concilio Viennensi emun- gere.	9 4 0.
1 2 7 8.	Iohannes III. obiit.	9 5 1.
1 2 7 9.	Thobias (quem Cuthenus Thomam) L. B. à Fe- chin Iohanni III. succedit, 15. Novembris electus.	9 5 2.
1 2 9 6.	Thobias à Bechin Episcopus mortuus, in æde D. Vitæ Pragæ inhumatur.	9 6 2.
	Hoc anno M. Gregorius Decanus Pragen- sis legitimè eligitur & confirmatur.	
1 2 9 7.	Monasterium Aulæ Regiæ fundatur.	9 7 0.
1 3 0 1.	Gregorius 13. Sept. ex hac vita excessit.	9 7 4.
	Eodem anno Iohannes è nobili profapiâ de Draziezi Gregorio defuncto surrogatur.	
1 3 1 8.	Iohannes cum Henrico à Schonburg præposito Lithomericensi ob iurgium causam per annos unde- cim Romæ agit.	9 8 1.
1 3 3 4.	Dissensio inter Franciscanos & Augustinianos tragica.	9 9 7.

Iohan-

1343.

Iohannes obiit.

Ernestus à Pardubicz Episcopus eligitur Avennæ à Papa *Clemente* consecratur, *Caroloq. IV.* sedulo rogitante, Episcopatus Pragensis ad Archiepiscopatus dignitatem per *Clementem VI.* evehitur, vide Hag.

1096.

Carolus confirmat potestatem Bohemiorum Archiepiscoporum coronandi reges Bohemiæ.

1347.

Nonnulli Bohemi de authoritate Papæ subdubitant,

1010.

1348.

Monasterium Slovan (hodie vocant *Emmaunta*) exstruitur, in quo *Monachi in vernacula lingua Bohemorum sacra peragunt*

1011.

Eodem anno flagellantium sectæ Bohemia eicitur.

1348.

Academia Pragensis augustâ Caroli munificentiâ conditur & erigitur, à *Clemente PAPA* confirmatur.

1349.

Reliquiæ imperiales, quas sanctuaria imperij & græcè *λειψανα* vocant, Pragâ apportantur, Hagecus. Festum Reliquiarum institutum.

1012.

1353.

Promulgate dictû in usurarios & sacrilegos, inhibet gestari amoleta & characteres superstitiosos.

1016.

1364.

Ernestus per *Vrbannum* ad Cardinale decus erigitur, eò quod persuasisset Carolo, ut omnes adversus Romanum Pontificem sentientes Papæ iudicandos traderet.

1027.

Eodem anno Ernestus primus Archiepiscopus obiit Glaziæ in æde B. Mariæ virg ad summam aram sepultus.

1365.

Iohannes Gencensteinus eligitur Avennæ

1028.

D

(urbs

- (urbs Galliae Harbonensis, in qua Papa tunc temporis habitabat) Archiepiscopatûs, Cardinalis Legatiq; nati titulum dignitatemq; obtinet.
1369. Conradus Austrius concionator celebris & acerrimus vitiorum infectator, ut testis est suis in scriptis Hussus, moritur. 1032.
1369. Iohannes Episcopus vices gerit Regis Caroli, adversus Bernabovem Mediolanensem instinctu Papæ belligerantis.
1376. Carolus IV. suasu Archiepiscopi decretum in hæreticos, ut loquuntur, promulgat. 1039.
1378. Iohannes Pragensis Apostolicæ sedis legatus eligitur Episcopus Misnensis Ecclesiæ, qui tamen Misnæ nunquam resedit, labores fugiens honore (verba sunt Fabr.) contentus & titulo. 1041.
1380. Iohannes cognomento Occellus decessit, cui Zbynio à V Valdek aliàs ab Hasenburg sufficitur. 1043.



ECCLÉSIAE
BOHEMIÆ ÆTAS
CIRCUMSPÉ-
CTIOR,

*Qua Hussus cum Synergis & Bohemis
Zelantibus Papam impu-
gnavit.*

1380. **Z** Bynick à VValdeka & Hasenburg Archie-
piscopus eligitur.
1383. Mandata Regis VVenceslai faciens, collectis, 1046.
quos cœnobia Bohemica misissent militibus, Bava-
riam populabundus ingreditur & victor regreditur.
1394. Matthias de Tancoe fervens veritatis Christi Ze- 1057.
lator obiit, qui librum de Antichristo conscripsit
viamq; Hussu stravit.
1400. Iohannis VVicleffi Angli libri in Bohemiam 1063.
asportantur.
1402. Hoc & præcedenti anno luxus immodicus & 1065
superciliofa superbia clericorum Hussu & alijs præ-
bet ansam pennas contra illos vibrandi; Hinc de
principatu Ecclesiæ tristes gliscebant controversiæ.
Vide Mæch. lib. 4. c. 50. & Tom. 2. oper. Huss.
1403. Magistri Academiae Pragensis instinctu Roma- 1066.
nensium 45. articulos VVicleffi condemnant.
1409. Academia Pragensis corrui.
1410. VVicleffi, Hussi, Miliczij, Matthiæ Parisen- 1072.
sis & Hieronymi Pragensis libri manuscripti in curia 1073.

Episcopali comburuntur, ob quam rem nubecula seditionis, quæ tamen citò transijt, orta est.

Eodem anno Hussus causam suam per legatos Romæ agit & excommunicatur Zbynco ab Harmburg ad Sigismundum Hungariæ regem confugit, oblectrans, ne labefactari Romanæ fidei sacramenta permittat. Dat fidem Sigismundus, sed dum dies die ducitur, Zbynco, (vulgo Zagicz.) moritur non sine veneni suspicione.

1411.

Albicus natione Moravus, patriâ Vnieszovius eligitur Episcopus unicum, ut literis Sylvius prodit, extremæ avaritiæ Barathrum.

1074.

1412.

Conradus, natione VVestphalus, Decanus VVysehradensis aurata transactione cum Albico facta Archiepiscopatum Pragensem init. Omnes scriptores inexpletas avaritiæ pauperæ fordes in Albico notant.

1075.

1412.

Papa bullâ (ut loquuntur) erigit crucem contra Ladislaum Apuliæ & Neapolis Regem, quod factum, ut impium, Hussus & voce & calamo & disputatione impugnat.

1413.

Papa interdicte Pragensibus sacra usq; dum Hussum exturbarent atq; ejicerent, qui spontè ad Nicolaum Hussinecium abiit & in areem Krakovvecz confugit.

1076.

1415.

Hussus iniquè in Synodo Constantiensi contra fidem publicam, quam salvum conductum vocant, martyr Bohemicus 6. Julij damnatur, peculiari ritu jure sacerdotali spoliatur, exuritur.

1078.

1416.

Hieronimi 1. Junij condemnatio & exustio. Secutum est funestum, quod Hussiticum vocant bellum, durans usq; annum 1436.

1079.

1417.

Cum Concilium Constantiense Laicis sub una duntaxat specie Eucharistiam esse distribuendam decerneret, Bohemi 10. Martij contrarium publicè

1080.

opponunt scriptum, Hussumq; Hieronimumq; martyrum honorem consecutos esse affirmant, memoriam illorum consecrant & quotannis celebrandam decernunt.

1 4 1 9.

Pragensium legati, quod in mandatis, causa religionis habebant, in conventu Brinnensi Sigismundo imperatori exponunt.

1 0 8 2.

1 4 2 0.

Martinus V. fulmine bruto ferit Bohemos, quos crimine conficto hæreseos damnat.

1 0 8 3.

Hinc lector, vulgare nec non usu tritum proverbium natum: Svevus locutulejus: Bohemus hæreticus. O sancta hæresis, quæ verbum DEI veri syncerum re docet verâ. Et Scoclæ Bohemorum in causa religionis contentiones, dum alij Husi, alij Thabor, alij Horeb, montium duorum nomina Pickardi, à Pickardo Gallo sic dicti, dogma nefarium per VVesanium, Martinum Moravez hominem disseminant. Adamitas vocavere hos nonnulli hæreticos. Scilicet adversarius Satan Zizanium semini miscet bono.

1 4 2 1.

1 0 8 4.

Comitia Gaslavvientiæ, in quibus Conradus Archiepiscopus recipiendo quatuor articulos, dogma Bohemorum approbavit.

Quatuor autem Pragensium articulos his recenset verbis M. Laurentius, qui tunc temporis vixit.

I.

Vt verbum DEI in regno Bohemia & Marchionatu Moravia liberè absq; impedimento à Sacerdotibus Christianis annuncietur & predicetur.

D 3

II. VI

I I.

Vt venerabile Sacramentum corporis & sanguinis IESV CHRISTI sub utraq; specie panis & vini omnibus fidelibus Christianis, juvenibus & senibus liberè distribuatur, secundum institutionem & præceptum Christi.

I I I.

Vt Clerici & Monachi more seculari non dominantur, sed juxta doctrinam Evangelij, exemplo Christi ac suorum Apostolorum, vivant.

I V.

Vt omnia peccata mortalia publica, & alie deordinationes, cum lege DEI pugnantes, vitentur, caveantur & inhibeantur.

- 1 4 2 5. Papa secundâ vice crucem in Bohemos decernit. 1 0 8 8.
- 1 4 2 7. Dissensio inter ministros verbi infelix, illorum captivitas, Iohannisq; Rokyczaniensis ad inspectionem generalem Sacerdotum omnium electio. 1 0 9 0.
- 1 4 2 8. Conventus generalis Sacerdotum Beronæ frustaneus, Pragensibus quippe & Thaboritis, ut vocabantur, dissentientibus. 1 0 9 1.
- M. Iacobelli Myzensis fidi Hufsi parastatæ mors.
- 1 4 3 1. Synodus sacerdotum Bohemiæ generalis Pragæ, in qua Pragensium, quos Rokyczanitas & Hufitas,
 2. Thaboritarum, quos Pickhardos & ab unitate fratres.
 3. Orphanorum, quos Boleslavienses posteri vocarunt, fuerunt & re infectâ, interstrepente belli motu, discesserunt.
 Sigismundus hortatur Bohemos, ut Concilium

cilium

cilium Basiliense audiant, offerens omnibus & singulis à se & à Concilio saluum conductum.

1 4 3 2.

Bohemi, prout receperant, *Basileam* mittunt M. Johannem Rokyczanum, M. Petrum Peyne, aliàs Anglicum. fr: Ulricum Nicolaum Biscupecium, quibus ex Thaborensibus adjuncti fuerunt Procopius Rasmus, V Vilhelmus Kostka & Benessius Macrovvus. Acta horum invenies in Frehero.

1 0 9 5.

1 4 3 3.

Bohemorum & Pontificiorum syncretismus (compactata transactionem illam vocant) datis dextris confirmatur.

1 0 9 6.

Bohemi alios [quos promotores quatuor articulorum vocabant.] mittunt *Basileam*, ut de fide Bohemorum secunda vice rationem reddant, hac cum lege, ut saltem verbum Dei, non verò patrum sententias opiniosas audiant. Legati fuerunt M Procopius de Plzna, M. Martinus Lupacz, M. Matthias Lauda à Chlumcian.

Papa approbat Bohemorum confessionem seu compactata ut loquuntur.

1 4 3 4.

Thaboritæ & Magg. Academiæ Pragensis à iudicio Rokyczan ad Concilium provocant.

1 0 9 7.

1 4 3 5.

Bohemorum Sacerdotes Beronæ conveniunt, rem amicè transigunt & uniuertur.

1 0 9 8.

1 4 3 6.

Rokyczana in Synodo procerum regni Bohemiæ frequentissima communi suffragio designatur Archiepiscopus Pragensis, duoque ipsi adiunguntur suffraganei. M. Martinus Lupacz Augezdecius & V Venceslaus Altæmytenus, seu ut est in compactis

Bohemiæ

Bohemiæ expressis Chocznenfis, quam electionem Sigismundus Imperator confirmat.

I 436.

Consistorium Pragenfe Cœna Domini pane & vino utentium, quos sub utraq; vocant, erigitur.

Bohemi ab anathemate Papali absolvuntur & veri ac genuini Catholicæ Ecclesiæ filij pronunciantur.

I 437.

Sigismundus Imperator & Philibertus Constantiensis Episcopus in æde sacra corporis Christi; cum domesticis tum peregrinis præsentibus linguâ Latinâ, Germanica, Bohemica, Vngaricâ promulgant, Bohemos sub duplici specie, panis scilicet & vini, Communicantes Germanos, primogenitos & legitimos Catholicæ Ecclesiæ esse filios. Ea promulgatio perpetuo ad posteritatem monumento, tabulæ marmoreæ, ibidem aureis notis est insculpta.

I 099.

I 437.

M. Petrus Anglicus Imperatorio mandato è Bohemiâ pellitur in exilium. Conradus presbyter loco movetur. M. Johannes Rokyczana subodorato Imperatoris in se animo Praga relicta Hradecium se contulit, in quâ urbe usque ad Poddebradij gubernationem mansit.

I 437.

Consistorio Pragenfi sub utraq; [ut loquuntur] M. Christianus Prachaticenus administrator præficitur.

I 439.

Post obitum M. Christiani Concilio Sacerdotum in Curia Pragæ majoris habito M. Ioh. Przibram & M. Procopius de Ptzna administratores Consistorij sub utraq; designantur.

I 101.

I 443.

Ecclesiastica Pragensium simul & Thaboritarum Cuthébergæ Synodus, in quâ aperte ventilârunt discrepantes de Cœna Domini opiniones. Nicolaus

I 105.

Bisku-

Biskupecz Thaboritarum princeps scripto compræ-
hensam exhibet de hac controversia sententiam, ad
quam Rokyczana respondet.

Viennensis Academiae alumni omnes Pra-
gam commigrare grataq; Musarum Bohemica-
rum musea invisere decreverunt, quod tamen,
nescio quo genio nigro, irritum factum est.

1444. Pragensium & Thaboritarum Pragæ in Collegio
convētus, in quo quæstio denuò de sacra *συνάξει* agi-
tata fuit. 1106.

1446. Paulus Cardinalis, nūnciūs Papæ Pragam mis-
sus cū Rokyczana disputat, discedens literas unio-
nis, quas compactata vocant, furtim fide asportat fur-
tificā, sed insequentibus Bohemis reddit. 1108.

Confirmatio Archiepiscopatus Rokycza-
næ frustra, apud Canonicos Pragenses & Episco-
pum Romanum Nicolaum V. urgetur.

1447. M. Iohann Przibramæus præfidente M. Hen-
rico N. Theol. Licent: publicè contra assertiones Sy-
nodi Florentinæ disputat & Bohemorum hac in re
fidem asserit. 1109.

1448. Papa Iohannem Cardinalem S. Angeli legatum
in Bohemiam misit, qui re infecta Romam redijt. 1110.

Rokyczana pulso Papauschekio, quem
templo Tynensi Sigismundus præfecerat, Pra-
gam redux redijt.

1451. Constantinopolitana Ecclesia cohortatur Bohe-
mos ad mutuam unionem, promittit Sacerdotes do-
ctos & integritate vitæ spectatos. Typis illa expressa
est epistola. 1113.

1451. Ladislaus defensionem quatuor articulo-
rum promisit liberamq; eligendi Episcopos po-
testatem dat Bohemis.

1462.

Legati Bohemorum, qui confirmationem electionis Rokyczanæ non obtinuerant, Româ redeunt, & Fautinus de Valle I. V. D. qui oratione venenata Regium honorem lesisset in custodiam Podebradium deportatur, ex quâ interventu Imperatoris Ludovici Bavari, aliorum Principum & magna cum intercessione liberatur.

1124.

1466.

Paulus II. Papa excommunicationis Papalis, brutum fulmen in Regem Georgium torfit, bullam (quam Sleidanus Cœnæ Domini vocat) promulgavit, quâ excommunicavit nomine hæreseos falso Bohemos, VVicleffitas, Hussitas, Rokyczanitas, aliosq; horum quocunq; nomine censeantur, fautores & defensores Apologeticum huic criminationi scriptum Georgius Rex opposuit.

1128.

Cruciferorum in Bohemiam, ut hæreticos extirparent adventus eorumque clades à Domazhencibus in campo Drizovatica accepta.

1467.

Tumultus causa religionis bellici & Teutonici cruciferorum ad Hiram (Neyrsto) clades.

1129.

1468.

Matthiæ Vngariæ irruptio in Bohemiam & fides punica.

1130.

1471.

Georgius Rex & M. Iohann Rokyczana placidè in Domino obdormierunt, hic 22. Febr. ille 22. Martij. Ferunt regem Georgium, cum de morte Rokyczanæ accepisset ominosa voce dixisse: nos ipsum brevi sequemur.

1133.

1479.

Synodus procerum Bohemiæ, in quâ publicè compactata, ut loquuntur, lecta & explicata sunt & cum primis caput illud, in quo continetur: Bohemos sub utraq; specie cœnam Domini fumentes, non esse hæreticos, ob quod nomen exosum armis infestis impetebantur.

1141.

1480.

Sacerdotes & Cives Pragenses in carceraria vin-

1142.

cula

- cula conjiciuntur; aliam causam Hagek, aliam alij assignant.
482. Augustinus Lucianus Episcopus Sancturiensis ex oppido Italia Mirandulæ, quod Comiris Galeotæ tunc temporis erat, venit in Bohemiam ministerium volentibus, rogantibus & vocatis concedit, integrum cœnæ Domini Sacramentum plebi utriusque sexus ad ministrat, & à proceribus Regni, qui sub utraq; (ut loquuntur) erant, in conventu Nymburgico, Ecclesiasticis rebus proficitur Bohemiæ.
483. Augustinus Episcopus, qui urbes nonnullas Bohemiæ lustraverat, Pragam præfiscitur, ab omnibus honorificè excipitur, & publicè Episcopus illorum, qui institutionem Cœnæ sanctè inviolateq; observabant declaratur.
485. *Conventus Cuthenbergæ celebris & frequens, in quo omnibus Bohemis libertas sumendi Cœnam sub unâ & sub utraq; specie, juxta conscientie dictamen, conceditur.*
493. Augustinus Episcopus ex hac vita emigravit, in Mariano Pragensi sepultus.
497. M. Iacobus Columbus, Mysenus patria, Consistorij Pragensis administrator eligitur, & à Vladislao Rege confirmatur.
499. M. Iacobus Columbus purioris doctrinæ amator & propagator strenuus, ut est in M. S. Lunæ, quo se medicaminis gratiâ contulerat, moritur.
500. In Synodo ordinum Regni Bohemiæ deliberatur de creando Archiepiscopo, sed hæc deliberatio in tempus magis opportunum rejicitur.
503. Philippus Novavilla, Vicecomes Palatinus Sidonienis & Mutinensis Episcopus Pragam venit & lætus excipitur, ut qui integrum Cœnæ usum probaret, & idoneis viris ministerium concederet.

1504.

Cuthenbergenses Episcopo Philippo, qui Pragæ vivere nolebat & sedem & domicilium præbent, Ecclesiæq; suæ gubernatorem constituunt.

1166.

1507.

Philippus Pragensis Episcopus devexâ jam atq; confecta ætate vitam cum morte Cuthenbergæ commutavit, sepultus ad D. Barbaram.

1169.

1509.

M. Iohannes Oppecynensis Theologus Pragensis proprijs sumptibus publicam literariæ adolescentiæ Scholam Pragæ ad D. Petri erexit, ut in illâ Christianæ pietatis fundamenta indimota ceteræ ætati inprimerentur.

1171.

1517.

M. Paulus Zatecensis administrator Consistorij Pragensis obiit, qui tractatum pro Communione parvulorum scripsit. Huic surrogatur M. Matthias Corambus, quod munus diu non retinuit.

1179.

1522.

LV THERVS ad omnes Pragæ comitia agentes, mittit literas, in quibus multis argumentis omnes & singulos monet, ne damnosum Papæ jugum subeant. Præter cæteras autem, quas habet sententias, hanc non possum non notare fatidicam: *Mihi spes est brevi tempore fore, ut & Bohemi & Germani per Evangelium in unum sensum & nomen conveniant, modo interim patientes misericordiam Domini expectemus, & si quid alterutris desit invicem toleremus: Non enim possunt omnia subito aut vi mutari. Sensim & per bonos Evangelistas tractemus & erudiamus populû in unam Christum donantes invicem, & nihil ad unguem, quod ajunt, exigentes.*

1184.

1523.

Celeberrimus Ecclesiasticorum & Politicorum Pragæ in prætorio majoris sive antiquæ urbis conventus, in quo variæ pertractabantur in causa religionis controversiæ, quæ cum maxime de Cœna Domini gliscebant. Misit & Lutherus ad senatum populumq; Pragensem tractatû de ratione vocandi & instituendi ministros Ecclesiæ, qui est in Tom. 2. VViteberg.

1185.

Eodem anno M. Shismanek administrator diem suum obiit, in ejus locum M. Gallus Gahera

Zate-

Zatecensis electus est, cui M. Iohan Præsticenus Ioh: Decanus Brodenfis & Henricus Pastor Lunensis adjuncti sunt.

1524. Ludovico Vngariæ & Bohemiæ Rege Synodus ordinum Regni Bohemici & Marchionatus Moraviæ fama celebris habetur, in quâ tractatum de religione conventumque mutuo, ceu 24. articuli testes sunt, qui typis publici juris facti. 1186.
1529. M. Laurentius Træbonius administrator. 1191.
1534. Matthias Corambus administrator. 1196.
1539. M. Martinus Glatovinus princeps Senatus Ecclesiastici, pastorumq; verbi divini Synodus. 1201.
1549. Congregatio Ecclesiasticorū, inq; initio ejusdem parelia quæ ominis habuerunt loco cordatiores. 1211.
1553. Sacerdotes, qui ab Episcopis non erant ordinati, exceptis qui in metallicis erant urbibus, solum vertere coguntur. 1215.
1555. Ordines regni in domo Carolina convenientes Iudicij Ecclesiastici Pragensis Senatores legunt, quorum administrator M. Iohannes Coloniensis fuit. 1217.
1563. Proceres regni Consistorium renovant, & Iohannem Mystopolum eligunt. 1225.
1567. Maximilianus II, Imperator, Vngar. & Boh. Rex consentientibus & probantibus Bohemis omnibus compactata, ut loquuntur, antiquat. 1229.
1575. Bohemi integrum Cœnæ Dominicæ usum retinentes confessionem suam scripto supplices Maximiliano II, Imp. Aug. Vng. & Boh. regi tradunt, sed illam pijsimus Patriæ pater, immaturâ morte abreptus, confirmare nequivit. 1237.
1582. Correctio Calendarij Gregoriana Bohemis obtruditur. 1244.
1602. Imperatorium edictum in hos, qui se à Christiana, in causa religionis, unione fratres vocabant. 1264.



ECCLÉSIAE
BOHEMICÆ PIA
ET RELIGIOSA SE-
NECTVS.


*Qua liberum Augustanae Confessionis
exercitium conces-
sum.*

1609.



DEO CLEMENTER, 1251.
Bohemiam nostram respi-
ciente, corq; Rudolphi II. Im-
peratoris Rom. Ungar. & Boh.
regis movente, *Matthia II.*
Ungariæ coronato Bohemiæq; designato rege,
Christiano II. Sax. Friderico Pal. Iohan Sigismun-
do, Brandeb. Electetct. Philippo Ludovico Pal. &
Henrico Iulio Brunsv. Principp: intercedentibus, Bo-
hemisq; ardentè & suppliciter instantibus ro-
gantibusq; 9. Julij liberum Augustanæ religio-
nis exercitium Baronibus, nobilibus, civibus,
atq; adeò omnibus incolis Regni Bohemici

permit-



permittitur, peculiari privilegio confirmatur,
Consistorium & Academia Ordinibus Regni
sub Utraque, ut loquuntur, redditur, concedi-
tur & ab iisdem renovatur.



*Vespera jam venit, nobiscum Christe
maneto,
Extingui lucem nec patiare tuam.*

F I N I S.



IN NOMINE DOMINI AMEN

Reverendissimi patris archiepiscopi
electoris Brandenburgensis
et archidiaconi Silesiaci
in locum suum, reddimus, con-
cedimus, ut ab ipso renovetur.

1555

Westera iam occurit, nobiscum Christi
Evangelium

F. H. S.







Fk 2415

● X2614689

VD17





B.I.G.

Farbkarte #13


OLOGICA
MICAÆ

ESIAE
bratio.

H O R E

THEOBALDO
IORE.

*Ecclesia, sanguine cœpit,
t, sanguine finis erit.*



B E R G A E ,

*Laurentius Seuberlich.
ne is Selfisch.*

M. DC. XI.

